DISSERTATIO ACADEMICA

De

PRÆCIPVIS SAPIENTIÆ IMPEDIMENTIS

IN ACADEMIA IENENSI HABITA

d. XV. Nou. anno M DCC V.

RESPONDENTE

O. FRIDERICO Neukirch/
Olsnens. Siles.

iamiam auctior recusa.

Litteris MVLLERIANIS.

Q. D. B. V.

PRAEFAMEN.



Vod dudum omnes docuit tristis experientia: nihil eorum, quæ ad hominum bona referuntur, sine multo labore ac cura cuiquam contingere, id non sine ratione speciatim de vera genuinaque dixeris sapientia. Quemadmodum enim illa nil nisi viua & efficax verae felicitatis humanae cognitio est adeoque vtique ad maxima hominis bona pertinet; ita & hoc cum reliquis commune habet, vt maximis vbique circumsepta reperiatur difficultatibus, quæ cursum ad ipsam tendentium innumeris modis impedire sustinent. Equidem ipsa, quam loquor, sapientia natura sua non nisi simplex est & facilis; aditusque ad eam, quod ipsius spectat arbitrium, desideranti vnicuique optimo patet: ast tot aliunde se offerunt vanitatis stultitiaeque machinae, quae multos terrent, plures morantur, plurimos ab eo, quem assequuti sunt, gradu deiiciunt. Atque hinc credo, factum est,

quod antiquissimi sapientiae cultores sub ipsis fabularum inuolucris fuerint conquesti: dum aureum vellus suum tot periculis, tot malis circumseptum ob oculos posuerunt nobis. Nil enim impedit, quo magis apud eos sapientiæ, quam artis chemicae aut historiae mosaicae imagines quaeramus, vti FRANCISCVS BACO B. de VERVLAMIO pluribus ostendit.* Interim quidquid hujus sit, resipsa nobis omnibus constat, nec facile reperietur quispiam, qui studia sapientientiae emensus, de eo non conqueratur. Licet hoc simul dolendum sit, impedimenta hæc curatius a paucis perpendi, adeoque a plurimis ignorari. Mouerunt hæc subinde pensitata animum nostrum, vt constituerimus praesenti scriptione de nonnullis sapientiae impedimentis paucis agere, eorumque pro virili detegere origines, praesertim cum, qui idem antea ex professo quod aiunt, fecerint, nobis hactenus cogniti sint pauci. Nouimus equidem eruditissimas meditationes, quas hanc in rem insumserunt venerabilis D. JO. ANDR. SCHMIDIVS *in dissert. de Sapientia Ienae 1694. habita*, & clarissimus SAMVEL GROSSER *in diss. de difficultatibus cursum sapientiae hodie morantibus Lipsiae 1690. habita*, nec dissi-

* *in tractatu de sapientia Veterum. opp. p. 1248. seq.*

dissimulamus illas aliquando nostris cogitationibus occasionem praebuisse. Ast quilibet tamen facile perspiciet, nos plane alia ratione alioque instituto in hac materia esse versatos, adeo ut neque doctissimorum virorum laboribus quid detraxisse, neque scriptum scribere aut actum agere iure insimulari queamus. Quemadmodum autem impedimentorum nomine significamus actiones, consuetudines, opiniones, quae causae & occasiones existunt, cur plurimi in corruptione intellectus voluntatisque maneant; ita odiosum quandoque suscipere coacti fuimus negotium, tangendo vitia non vni sed plurimis communia. Fecimus tamen id cordate & sine acerbitate, nec vnius hominis arrosimus famam, quippe qui non inglorium tantum, sed & indecorum existimamus, in singulorum vitiis enarrandis, sine causa laborare. Ideoque eo magis veniam merebimur, si quandoque de vitiis multis communibus, ut res postulat, significantia fecerimus verba, *malentes* cum SENECA* *veris offendere, quam placere adulando.* Poteramus multa quae notauimus, propriis meditationibus experientiaeque vindicare, ast hac quidem vice satius existimauimus, aliquid seculi concedere moribus, & aliorum quandoque implorare subsidium,

* *Lib. II. de Clement. c. 2.*

fidium, qua in re ita ingenue fuimus versati, vt ne quenquam tacuerimus, qui nobis vel minima ex parte praestitit auxilium. Exempla hoc negotium illustrantia, vbi se sponte obtulerunt, adducere nec inutile duximus, nec iniucundum. In allegandis quibusdam Graecorum Autorum cogitatis abstinuimus data opera a graeci textus longa recitatione, quum harum rerum periti facile fontes ipsos adeant, reliqui vero nauseam exinde contrahere possint. Condonabunt etiam Ciceronianae latinitati consecrata ingenia, si qandoque ad ipsorum palatum accommodata minus fuerit oratio. Praeter id enim quod haec festina opera & subcisiuis quasi horis fuerint consignata, rerum fuimus studiosi, parum verborum, Philosophos agentes, a quibus vel ipse summus CICERO *eloquentiam si non habeant, non admodum flagitat.* * De caetero Tu B. L. vale & conatibus nostris veritatis virtutisque amantibus faue.

* *Lib. I. de Fin. p. m.*

Con-

Conſpectus Diſſertationis.

§. I. Inter Impedimenta primum notatur: inconſideratus parentum ad generationis actum acceſſus. §. II. Praua infantiae educatio. §. III. Vanae pueritiae factae perſuaſiones. §. IV. Immatura pueritiae ſtudia. §. V. Praeceptorum ſeueritas. §. VI. peruerſa methodus diſcendi a verbis ad res progrediens. §. VII. Occultatio rerum phyſicarum & oeconomicarum. §. VIII. Solius memoriae cultura. §. IX. Nimia Latinitatis cura. §. X. Neglectus culturae voluntatis. §. XI. Neglectus ſcrutinii ingeniorum. §. XII. Nimius eruditorum numerus. §. XIII. Academiarum multitudo. §. XIV. Dignitatum academicarum abuſus. §. XV. Multitudo Librorum. §. XVI. Odium Libertatis ſentiendi. §. XVII. Humilis de literis humanioribus & Philoſophia perſuaſio. §. XVIII. Ignoratio verorum conceptuum de eruditione gentium. §. XIX. Deprecatio ſpecialioris tractationis.

§. I.

NOn miraberis ſi Sapientiae impedimenta cum ipſo homine naſci exiſtimantes ab ipſa eiusdem origine repetemus, quum alias conſtet hominis miſeriam vna cum ipſius corpore produci. Hinc in impedimentorum Sapientiae claſſe pri-

mum sibi iure vindicat locum inconsideratus plurimorum Parentum ad generationis actum accessus, qui miseris parentibus subinde producit progeniem longe vitiosiorem. Ita vix crediderit quispiam homines ad sapientiae studia aptos alacrique ingenio praeditos progigni posse, cum parentes aut senio confecti, aut, quod maiori cum stultitia coniunctum est, bene poti, aut etiam laboribus delassati procreandae soboli intempestiue student. Dum enim subtilissimae corporis humanae particulae; aut motu suo ordinario priuatae aut tumultuarie circumactae ad foetum producendum concurrere inuiti coguntur, non possunt non eundem, quo momento temporis gaudent, motum foetui producendo communicare, vt hinc tot proueniant parentum alioquin callidissimorum inertes trunci, cerebro confuso vtentes, & ad omne studiorum genus ineptissimi liberi. Itidem cum parentes summis malesanorum affectuum stimulis concitati ad opera veneris peragenda proruunt, sanguis quo communicatur, eodem postea se exerit habitu, vt hinc vtique vltima repetenda sit causa, quare infantum alii ad res habendas, alii ad concitatos irae motus, alii ad delectationem sensuum sint procliuiores, adeo vt ita propensiones ipsorum per omne vitae tempus se exserant, licet multo ipsis obui-

obuiam eatur molimine. Imo vix dubito parentibus tribuere quod alii ad hos, alii ad istos errores sanctissimarum veritatum loco sibi persuadendos sint paratiores, cum a constitutione cerebri pendeat quodammodo idearum impressio, ista autem haud dubie a constitutione seminis paterni. Vnde nunc facile est iudicare, quanta hinc sapientiae metuenda obstacula, quae ipsi ingressum in tot hominum animos praecludunt. Sapienter hinc graecanicae philosophiae praecipuus instaurator PYTHAGORAS apud IAMBLICHVM * cum suis statuit: *Nasciturae soboli in antecessum prouidendum esse ab iis, qui liberis procreandis operam dant: primam vero & praecipuam cautionem circa ipsam generationem adhibendam illi, qui soboli generandae animum admouet: vt victu sobrio & salubri vtatur, neue alimentis intempestiue se ingurgitet, aut ebrietate praecipue, alia-ue perturbatione corporis habitum deteriorem reddat. Existimabant enim e prauo, dissonoque, & turbido temperamento, vitiosa semina edi.* Et post pauca: *hanc enim grauissimamque iuxta euidentissimamque causam esse, quod plurimi hominum mali atque improbi sint: quia nimirum liberorum progeneratio apud plerosque belluino ritu & temerarie instituitur*

* *de vita Pythagorae c. 31. p. m. 211. 212. 213.*

" *tuitur.* Eodem modo PLVTARCHVS ** " prohibet, *patres, ne cum quibusuis mulieribus* " *rem habeant, vtque aut omnino vini vacui, aut* " *faltem mediocriter eodem vsi proli gignendae ope-* " *rentur,* iubet. Conferri oppido huc mere- " tur qui plura fuppeditabit HVARTI tra- " ctatus * : *qui generari fierique ingeniofi ac fa-* " *pientes poffint liberi.*

§. 11. Crefcente aetate crefcunt quoque impedimenta, & qui morbis natus eft obnoxius, fequenti tempore faepe iisdem plane obruitur, & vna cum lacte materno toxica bibit venena. Vtique referri huc meretur praua ipfius infantiae educatio, tot pene fe exferens modis, quot dantur huius educationis negotia. Enimuero impedit fapientiam matrum nutricumque incuria, plane non curantium quam parati ad lacte fuo cibandum infantulum procurrant. Habendus erat fummus nutricum delectus, nec quaeuis fed fumme valentes fummaeque probae erant adfcifcendae, fi PLVTARCHVM * audiremus. Hoc vero dum negligitur faepisfime vna cum lacte infantibus venerei ftimuli olim cum impetu erupturi, melancholiae prolufiones, & exorbitantis cholerae impetus fimul infunduntur. Non impro-

** *περὶ παίδων ἀγωγῆς fub init. Tom. II. opp. p. 1.* * *prod. latine conuerfus Ienae 1663. 8.*
* *l. c. p. 3.*

improbabile hoc erit iis, qui experientia edocti norunt, varios etiam in adulta aetate variorum ciborum effectus, quos ob oculos habuisse videtur non PYTHAGORAS solummodo, sed & ipse diuino collustratus lumine Legislator MOSES. Istud pluribus ostendit Venerandus Praeceptor noster D. BVDDEVS*, hoc facile patebit iis, qui mosaicas leges cibarias physice & moraliter curatius sunt lustraturi. Atque hinc non subit mirari, vnde saepissime in infantulis statim magno agmine proueniant maximae prauorum affectuum concitationes: quibus dum sedandis parentes aliique admouent operam, nil aliud saepissime faciunt, quam vt concitatiori vi imposterum erumpant. Aut enim omnibus modis iisdem indulgent, aut quod mea opinione minoris prudentiae esse videtur, verberibus rem conficere laborant, nil aliud effecturi, quam vt effectus irae, peruicaciae, quotidie augeantur, nisi summa adhibeatur cautio. Quibus omnibus qui non impediri sentiat sapientiam, ille desipientiae origines ac incrementa non satis obseruasse, imo ne cogitasse quidem deprehenditur.

§. III. Obest porro parentum praefectorumque stultitia ingressui sapientiae in animos

* *in dissert. de ἀσχήμω Philos. §. IV. & V.*

animos liberorum, dum eos vanis & insanis persuasionibus, vel ioco vel ex alia causa occoecare gaudent. Sic a teneris vsque docentur cerebrum suum ad asininam quandam parare credulitatem, vt dein sequutuo vitae tempore ex praeiudicio & opinione non loquantur tantum, sed viuant. Atque ita assuescunt Deum sibi sub specie hominis bene barbati, & pomo cruciato insidentis fingere, angelos corporeis alligare conceptibus, & albicante indutos veste admirari: vanis terriculamentis ad metum anserinum compelli, & nescio quid non spectri, vel minima mota luce cernere. Oriuntur hinc tot etiam adulta aetate adhaerentes praeiudicatae opiniones, tot vanitatis falsitatisque commenta, vt plures etiam facibus praelucentibus ab iisdem deduci non queant. Sed non opus est his diu immorari, cum pluribus hoc tetigerit IO. CLAVBERG. * Placet potius Philosophia diuini PLATONIS apud PLVTARCHVM ** sapientissime nutricibus praecipientis, ne quasuis fabulas pueris recitent, ne horum animi a principio stoliditate ac prauitate occupentur, cui affinia docet IO. LVDOVICVS VIVES * addens rationem:

* *in Prolegom. Logicae speciatim c. III. p. 11.--23.* ** *l.c.p.3.* * *de femina christ. Lib. II.p.505.*

nem: *hinc* ex anilium fabularum relatione, *fieri, vt quidam ex prima ista educatione in grandiorem aetatem vel teneros vel fractos & pueriles animos referant, nihil vt graue ac prudens audire & sustinere queant.* Neque hoc est saltem intellectus infortunium, voluntas eadem corrumpitur ratione, dum tot excitantur affectus, qui animum adulta aetate ad res bene gerendas ineptum faciunt. Mea opinione prudentia educandi exinde elucet, quando parentes liberis omnem praebent occasionem, non euitandi tantum ideas falsas, sed & puerili oculo ad ipsam vsque veritatem penetrandi. Imo inter boni ingenii indicia repono animum a coeca credulitate etiam prima aetate alienum, neque possum assentiri celeberrimo praesuli de FENELON * qui praeiudicia ad bonum directa enixe commendat, alias enim bruta quoque Deo placeret fides pietasque, quod & Scripturae & rationi contrariatur.

§. IV. Mirabitur forte non vnus, si dixero: ipsa studia sapientiae studium impedire; interim dolendum est, id ipsum vtique esse verissimum. Enimuero studia immatura & puerili aetate praecipitata, nimiosque, queis aliquando obruuntur ingenia, labo-

* *de educatione Filiarum p. 93. edit. quae Halae germanice prod.*

labores, non possum non in hunc censum referre, quum & ex naturali corporis constitutione & morali mentis contemplatu id pateat. Inspice, si placet puerilis cerebri plurima abundantis fluiditate constitutionem, & poteris ipse facili ratione colligere, magno & intempestiuo motu atteri ingenia, atque in vapores denique ac fumos exire. Accedit insuper interna mentis natura, quae hac ipsa aetate aut nimio impedita phlegmate cito torporem induit, aut animo si vnquam delectationi sensuum & varietatibus rerum sectandis dedito, studiorum concatenatione, eorundem horrorem contrahit. Vnde plurimi austeram sibi & odiosam fingunt sapientiam, quae non aliter ac saeua castigatrix hominum animis dominetur eosque seuera coactione, ferro pistrinoque adstringat intolerabili, quod certe opprobrium, quo communius eo grauius accidit sapientiae. Haec blanditias, fauorem, beneuolentiamque quotidie spirat, nec quicquam boni proponit, cuius non sit iucunda & acquisitio & possessio. Sed quicquid huius sit; obtinet tamen vesana opinio, ingeniaque cum summo eorum, detrimento ad studia non manuducuntur, sed trahuntur imo rapiuntur; scilicet vt gratuletur sibi sancta parentum simplicitas de vocabulis, sententiolisque quas puerulus tremulanti voce, psittaci instar

ftar ad vnguem enumerat: atque fic fatis fiat eruditisfimae, fi Diis placet, docentium ftultitiae.

§. V. Accedit porro inepta hominès erudiendi methodus, qua tum patentes domi, tum praeceptores fcholaftici feuera frontis ruga omne conficere fe poffe exiftimant negotium. Pauci credo praeceptores fuos, vt M. ANTONINVS PHILOSOPHVS * Alexandrum Grammaticum, laudare poffunt, quod ab increpationibus fibi temperarint, neque ignominiofe caftigarint, fi quis barbarum, foloecum aut abfonum quid protulerit; aft non errauero fi dixero, plurimos & nunc eadem in ludis literariis experiri fata, quae olim in auunculi ftatuarii officina perpeffus eft LVCIANVS, vt, fi non Magiftri prae imperitia percutientis tabula, tamen miferorum libellorum capitibus illifi rumpantur afferculi: adeo vt multos apud locum inueniat §. 3. Et *Iulianus* l. 5. π. ad L. Aquiliam, nec non *l. praeceptoris enim* 6. π. ad L. Aquil. Scilicet fi confilium prudens QVINTILIANI * fequi vellemus: cauere oportebat, ne ftudia qui amare nondum poteft, oderit, & amaritudinem femel perceptam etiam vltra rudes annos reformidet. Sed

* *εἰς ἑαυτὸν βιβλ. α. p. m. 157.* * *vid. eius Somnium p. m. 4.* * *lib. I. p. m. 10. Inftit. orat.*

Sed & hic rem inuertimus, & quos paulo antē manu dextra adducebamus, mox iterum non secus ac ANTISTHENES DIOGENEM apud AELIANVM * abigimus. Sic videas orbilios tales domi pueris omnem loquendi sumere licentiam, a ludis coercere etiam maxime innoxiis & ad ingenii culturā facientibus, vbi vero ludum literarium fuerint ingressi quotidiani subsunt carnificis manibus. Vnde est, quod multi ad adultam aetatem iam progressi linguae habenas nondum reliquerint, obstupescantque, quoties ex officio etiam verba sunt facienda. ** Dum autem a ludis aliisque puerilis aetatis negotiis arcentur, studio ipsis ingenii debilitantur vires; quas licita condire debebat hilaritas, quae sic tandem in scelestissimam abit pertinaciam. Plures praeterea laborum obruuntur copia, dum vel nimio vnius laboris penso adstringuntur, vel quod & communius & magis damnosum existit, diuersarum coguntur audire lectiones materiarum, easque domi omnes resumere, vnde inconcinna confusio infinitis modis turbat puerorum ingenium, nec postea ea ad praxin deducere iustoque applicare loco pos-

* *histor. var. Lib. X. c. 16.* ** *Confer quae hanc in rem obseruauit Christianus Thomasius de ICtorum prudentia consultatoria c. VII. §. 57. 58. seq.*

possunt, vti obseruat HVARTVS.* Ast sic moris est, sic procurrunt ad scholas cum colligata librorum mole pueruli, scilicet vt cepae misceantur allio, acquiratur tenuis adhuc cerebri inopia, tollaturque, quicquid prouida numinis beneuolentia in ipsa natiuitate concesserat, ad sapientiam aptatum. Seueram si spectes coactionem, non secus ac natura humani corporis adhibitis generosis remediis in morbis acutis, (vt loquitur Dominus de FENELON **) eadem debilitantur ingenia, aut malitia magis magisque indurantur, adeo vt facilius sit nimia indulgentia deiectos, quam nimia seueritate depressos in virtutis reducere tramitem obseruante prudenti quodam Autore ANONYMO Gallo. His ex causis non est mirandum, tot subinde ad literas natos, literas tamen cane angueque peius fugere, cum radices literarum etiam ipsae dulces tanta Praeceptorum imperitia felle condiantur. Sanior est Philosophia PLINII *** qui stultae huic seueritati occinit: *Cogita & illum puerum esse & te fuisse: atque ita hoc, quod es pater (praeceptor) vtere, vt memineris & te hominem esse, & hominis patrem*, cui iungendus SENECA **** pluribus disputans; Vter

 prae-

** in scrutin. ingen. c. III. p. m. 86. ** l. c. p. m. 45. *** Lib. IX. epist. XII. **** de Clement. lib. I. c. 16.*

praeceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificinat discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus haeserit, an qui monitionibus & verecundia emendare & docere malit.

§. VI. Nescio cur non & huc referam peruersam, vniuersalem licet discendi methodum, qua omnis a verbis & literis incipitur institutio, cum modo inuerso procedere iubeant logicae sanioris regulae. Debebant prius infantia ingenia imbui necessaria quotidianarum rerum etiam moralium cognitione, a qua dein commode manuduci poterant ad ipsarum denominationem. Ast res inuertitur, & discimus vocabula quorum saepissime nullum percipimus sensum, licet via contraria & maior agilitas & maior ingenii constantia possit obtineri. Vnde marcescit memoria, licet quotidie ruminetur perforeturque, & vbi ad solidiora & vitam communem ventum est, & coeci adparemus, surdi, muti, claudi. Vitam prius, loquelam postea largitur naturae beneuolentia, homines curant posterius, prius proiiciunt in crastinum: & tum docet viuere, cum dimidium iam effluxit, vitae breuissimae tempus. Imprimendae erant ideae viuidae & realiter praesentes, non mortuae, non remotissimae & in obscura se saltem sistentes imagine. Illud

soli-

solidam & sanam progignere poterat eruditionem, ad quam praeparantur pueritiae pectora; hoc falsam nutrit sapientiam, & superficiaria nos fallit cognitione. Sed obstat communis opinionum, queis mundus regitur, oraculum, obstat praesens & auctoritate publica sancitus scholarum status, obstat multorum praeceptorum ignorantia, negligentia, pigritia.

§. VII. Pertinet huc quoque imprudens plurimorum parentum cautio, ne liberi puerili aut adolescente aetate rerum domesticarum & physicarum cognitionem acquirant, quo ipso partim impediunt, ne a teneris prudentiae oeconomicae cognitione imbuantur, quod tamen consultissimum erat, & simul augent ipsa occultatione, imo vitiosam reddunt iuuentutis curiositatem, quippe quae aperta indifferenti adspicit oculo, occultata vero, in malitiae suae conuertit instrumenta. Ast sic fallitur nimia hominum prudentia, & a vitiis arcere volens, magis magisque ad eadem manu ducit, abducens ab iis, quorum vsus per totum vitae cursum se diffundit. Hinc videas saepe viros erudito nomine superbientes, qui vel confectionem butyri ignorant, vel mures & feles ex stercore domestico pronasci cum aniculis sibi persuadent, vel cum P. Schinerio Ordinis Loiolit. socio apud

NAVDAEVM filicem loco pretiosi lapidis ex India orientali oriundi, (quem Bezoram vocant) venerantur. Dum enim bonorum ingeniorum indicatrix curiositas parentum de rebus obuenientibus, vel de solo hordeis apto, vel de vsu fermentorum, vel aliis rebus oeconomicis quaerit relatum, responsum vt plurimum accipit: quid haec ad Te? quaere quid prophetizet Donatus, Vestibulum, Orbis pictus, Grammatica, & quae sunt alia literariae iuuentutis crepundia, quasi, ac si ea non essent magis necessaria cognitu, quae ad quotidianum vitae comercium pertinent, & omnis eruditionis obiectis illustrandis aliquando inseruire poterant. Interim tantum potest inueterata opinio, quae vti paedagogicae affectationis germana est soror; ita non potest non omni molimine sapientiae prudentiaeque obsistere, adeo vt nescio qua religione, viris doctissimis & boni publici cupidissimis vitio vertatur, quod iuuentuti naturalis doctrinae studiosae structuram humani corporis, eius origines aliaque huc pertinentia luculenter exponant.

§. VIII. Egregie huic partim obtemperat, partim succurrit praeceptorum socordia, qui optimum vitae tempus solius memoriae cultura (ruptura potius dicenda) perdunt, insuper habitis iis omnibus quae aut ingeni-

ingenium, aut iudicium attinebant. Ita enim comparatum eſt cum humanae mentis virtutibus, vt nimio cultu atterantur, iuſto pauciori autem plane marceſcant: hinc qui memoriae omnem nauant operam cerebrumque quotidie nouis complent idearum cumulis, non tantum illi noxam adferunt, ſed dum iudicium ingeniumque negligunt, nec prudenti meditatione ideas voluunt reuoluuntque, atque ad vſum referunt, ad horum exercitationem pene ſe ineptos reddunt. Harmonia reguntur facultates, harmonice quoque, id eſt, aequali ductu ſunt vrgendae. Hoc dum negligitur, tanta eſt hominum eruditorum copia, qui omnia ex aliis norunt, ex proprio ingenio aut nihil aut parum. Semoueas quaeſo locos communes, compendia, ſyſtemata, florilegia, commentarios, diſpoſitiones, theſauros, & ſemouebis ab ipſis ſimul optimam miſerae eruditionis partem. Nudi comparebunt, & vbi ad extemporaneam rerum diiudicationem, propalationemque ventum erit, trepidanti mente & voce innumera proferent priſtinae negligentiae argumenta, etiam apud rudes literarum aut nauſeam aut riſum mouere apta. Miſcebunt quadrata rotundis, rotunda quadratis, a baculo, quod aiunt, ad angulum colligent, Iouem furabunt lapidem, rodent vngues, & ni Deus quis-

piam ex machina subuenerit, solenni clausula intactum, quod susceperant, derelinquent negotium. Ita quaelibet sic est curanda facultas, vt neque atterantur nimium, neque plane supprimantur alterae, sed vt potius omnes sibi beneuolam inuicem nauent operam: neque enim vna sine reliquis multum valet, neque reliquae vna sine damno carere queunt. Discendae itaque sunt linguae, discendae historiae, & quae his sunt affines disciplinae, mathesi quoque exercenda mentis acies, sed simul colenda linguae agilitas, tentandumque quid propria vel inuentione vel diiudicatione valeat animus. Hoc autem vix est sperandum vbique, cum magna sit docentium affluentia, qui mentis vitia ac virtutes ne de nomine quidem norunt, & ad opinionem praescriti temporis omnem suae doctrinae cursum metiuntur.

§. IX. Atque ex hoc fonte profluit specialius impedimentum, quod praebet nimia latinitatis cura. Non is sum, qui existimet romanorum linguam qua tot ac tanta eruditionis monumenta ad nos posteros peruenerunt, plane negligendam & ex animis discentium eliminandam esse. Est illa insigne eruditionis instrumentum, qua sine non multum promouebitur, & vtique videtur quodammodo necessarium vti aliqua lingua

gua multarum gentium eruditis communi. Sed instrumentum est eruditionis, non eruditio ipsa, cur itaque eidem vltra sexennium impendimus, cum illis linguis, quaeis sacrae perscriptae sunt literae, vix biennium imo ne hoc quidem tribuamus? Cur inquam adolescentiae persuadetur a viris doctis, in hac scribendi exercitatione positum esse fastigium solidae eruditionis? cur sine delectu incauta iuuentus omnes auctores clasficos perreptare admonetur? Cur vernaculam contemnimus, eosque qui huic laudabili succurrunt opera, diffamamur? Scilicet vt ineptam praestemus iuuentutem communi vitae cui debetur, vt adsuescant maioribus destinata ingenia, sicut SENECA * loquitur, pusillis occupari, atque a pedantismo impediatur solida, quae in rebus non in verbis est, sapientia. Discatur linguae romanae decor, floreat eiusdem exercitatio, sed floreat simul earum studium, queis vera sapientia & diuina patet: Vrgeatur etiam illa, quae mundo patriaeque seruire nos iubet numinis prouidentia. Applico huc verba, quae de latina suis vernacula lingua habet QVINTILIANVS: ** Post latina *non longe* germa-

* *Epist. 150.* ** *Lib. I. Instit. Orat. p. 9. c. 1.*

nica *subsequi debent, & cito pariter ire. Ita fiet, vt cum aequali cura linguam vtramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat.* Non male REALIS de VIENNA * *Iustius esse*, existimat, *nos multis philosophari linguis, vna vniuersali, & aliquot particularibus, quam vna, vna enim perit, multae simul non ita.* Itaque non contemnenda, vt saepe fit, sapientiae monumenta, quae vernacula nostra comparent, sed ostendamus nec nostrum genium minus aptatum studiis, ac aliarum gentium, quorum scripta sibi vernaculis linguis quotidie manibus nostrorum voluuntur. Potuit MAGNVS RVDOLPHVS HABSBVRGICVS eam producere in forum politicum, vti hoc in eo laudat CASPAR DORNAVIVS, ** cur quaeso eruditorum musea amplius reformidet. Absit contemtus neglectusque, absit vana aestumatio ab iis, quorum officium est omnibus suum statuere pretium.

§. X. Pertinebat hoc negligentiae genus maxima ex parte ad intellectum in desipientae & imprudentiae vinculis detinendum: voluntatis neutiquam feliciora sunt

* *in dubiis ad Christiani Thomasii Introd. ad Philos. aulicam, ad c. 1. §. 67. p. 49.* ** *in vita Rudolphi Habsburgici p. 78.*

sint fata. In hoc saltem differunt, quod intellectus semper, sed via non satis conuenienti: voluntas, aut nunquam, aut modo plane praepostero instruatur. Non hoc desiderio, quod iuuentuti scholasticae Syntagmata ethica non dictitentur, aut quod commentarii ethicorum Aristotelis non explicentur pro nostris scholasticis. Absit, neque enim hoc forte vbique exsulat, neque si rectius rem pensites ad voluntatem excolendam quicquam valeret, vt iam olim optime subodoratus est LVTHERVS* & cordate monuit Dominus de SECKENDORF. ** Istud autem boni publici studiosi omnibus votis expetunt, vt teneris annis mentes ad miseriae humanae & intimae nostrae corruptionis manuducantur cognitionem, vt placide de virtutis admoneantur praestantia, vtque ipsis non difficilia, sed iucunditate mixta commendentur media, praeeanturque, quod pene caput rei est, exempla, ad veram & duraturam felicitatem, quemadmodum aliquando PLATO se Speusippum vita sua emendare aiebat, apud PLVTARCHVM. ***. Monstrentur insimul prudentiae decori & morum regulae,

* *Tom. I. Altenb. f. 508.* ** Christen-Staat *Lib. III. c. 9* §. *4.* *** *de adulatoris ab amico discrimine, Tom. II. p. 71.*

regulae, quae non vt vulgo fit memoriae inprimere, sed vita exprimere suadet ratio. Neque hic labor Praeceptoribus est proprius, neque certis horarum pensis est alligatus. Debebat id fieri & a praeceptoribus & a parentibus, qoacunque se offerente occasione. Quot sunt parentes, quot praeceptores, qui haec velint facere ? quod sunt, qui possint ? Abrogata est sapiens Imperatoris IVLIANI * constitutio. *Magistros studiorum oportere excellere* MORIBVS *primum, deinde facundia* praecipientis. Hinc sordent haec studia ingeniis ad maiora natis, quippe nulli ostentationi parata, & plus ille pretii tulisse creditur, qui antiquato alicui graecae vanitatis magistro obstetricantes addidit manus, prae illis qui animos ad verum virtutis tramitem manuducunt. Imo plurimi non negligunt saltem voluntatis culturam, sed plane oppugnant, dum data opera inuidiae, aemulationis, odii, ambitionis affectus in animis excitant, suoque exemplo, omnibus iusti, honesti, decorique regulis insuper habitis egregie cauent. Vnde est quod sapientiae studio dicatae scholae saepissime abeant in scelerum & immodestiae officinas, quodque ad hunc vs-

que

*vid. l. 7. de Professoribus & medicis.

que diem repetendum sit SENECAE * de artibus liberalibus iudicium : *Earum con- „ sectationem molestos, verbosos, intempestivos, „ sibique placentes facere, & ideo non discentes, „* (adde docentes) *necessaria, quia superua- „ cua didicerunt.* Atque his ita se habentibus necessario abest Numinis benedictio, cuius absentiam optime primum studiorum impedimentum esse existimauit, vir vt de omni re literaria & scholastica, ita & speciatim de nobis meritissimus CHRISTIANVS GRYPHIVS ** cui iungenda celebris KOCHII Prof. Helmst. hac de re cogitata.***

§. XI. Erant haecce sapientiae prudentiaeque impedimenta generalia ac quasi prima, & cum iis qui literas prosequuntur, tum illis, qui ad aliarum artium trahuntur studia quodammodo communia. Sunt alia adhuc non minus damnosa, quae litterarum studiosis sunt propria, quae non tam communes viuendi regulas supprimunt, quam speciatim sic dictae eruditionis cursum. Sub ingressum studiorum plurimis obest neglectum ingeniorum scrutinium

* *epist. LXXXIIX.* ** *vid. eius* Poetisch Wälder in Dramatischen Gedichten *p. 742.*
*** *in dissert. de impietate magno sapientiae impedimento.*

nium de quo videatur post HVARTVM * venerandus Praeceptor noster D. IO. PHIL. TREVNER**. Enimuero antequam adolescentes animum ad literarum studia penitus imbibenda applicarent, decebat prius cognitas habere ingenii vires, intellectus voluntatisque habitum, nisi coeci malint duci ad istud vitae genus ad quod aut non satis apti aut penitus inepti apparent. Eruditio debet nostris mederi defectibus, defectus itaque sunt noscendi vt sciamus, quibus quam maxime occurrendum. Inquirendum hinc erat in vires mentis generatim, quantum illae ad studia apparerent idoneae: vnde scrutanda veniebat ingenii imaginationisque promtitudo, iudicii acies, memoriae continentia: conferendae erant hae facultates inuicem, vt iudicium ferri posset, quae illarum prae reliquis praepolleat, quibusque addicere se posfit studiis ille, qui iamiam ad eruditionis limina est constitutus. Discernendi erant gradus, quibus ingenia differunt, ita vt alii serius, alii citius maturescant. Habenda quoque voluntatis ratio, quarendumque ad quae vitia mens pronior appareat, an magis ambitionis,

* *in scrutinio ingeniorum latine expresso Ienae 1663. 8.* ** *in dissert. scrutinio ingeniorum praemissa.*

nis, an voluptatis, an auaritiae vrgeatur stimulis. Hoc nisi quis fecerit, vana est plurima susceptarum curarum pars, & quae medicinam ferre debebat educatio, vt plurimum toxica miscet venena. Interim nihilo secius pene plerumque locorum exulat hoc scrutinium, aut exulauit saltem aliquot seculorum fluxu:, ars raticionandi, quae est generale eruditionis instrumentum, impleta fuit nugiuendulorum scholasticorum crepundiis, ea vero, quae animum vere excolunt, mansere sepulta alta sub caligine. Imo cum ante annos viri doctissimi in arte dignoscendi animos hominum laborare inchoarent, homines de schola, qui his maxime indigebant, primi erant, qui instituto sapienti omnibus modis succensebant, sed quod mundo gratulamur, vanis irritisque conatibus. Atque haec est ratio, cur tam multi studiis se sacrari gaudeant, quos satius erat non Augiae sed alii cuipiam stabulo purgando inuigilare, quique viui instar sunt commentarii ad verba SENECAE*: *male respondent coacta ingenia: reluctante natura irritus labor est.* Sed sic satisfit parentum votis praeceptorumque imprudentiae, qui asininam quandam ediscendorum pensorum tolerantiam boni ingenii nomine

* *de tranquill. animi c. 6.*

nomine compellant, ineptissimosque ad studia rapiunt, ignorantes vel ipsa nomina ingenii, iudicii, memoriae. Alii, qui his prudentiores videri postulant, alia peccant via, dum saepe eos arcent a studiis, qui studiis cum fructu ingenio maturescente erant inseruituri. Nobis placet RENATI CARTESII * cautio, existimantis: *Plus illos promouere, qui rectam perpetuo viam insistentes, lenissimo tantum gradu incedunt, quam qui saepe aberrantes celerius gradiuntur.* Hunc enim magis adiuuat iudicium, alium ingenium, alium memoria, haec diuerso se exserunt tempore, adeoque multi, qui ad res memoriae & ingenii ineptissimi, videbantur, rebus iudicii cum fructu praesunt, & vicissim. Sed dum negligitur haec obseruatio, multi studiis inuigilant, in quibus per naturae suae constitutionem nihil laudabile praestare queunt: & neglecto inclinationum voluntatis scrutinio, multi dum studium eligunt, eligunt totius vitae cruciatus. Rectius itaque aut sibi consulunt, aut suis, qui cum IO. GOTTLIEB MEISTERO ** primam prudentiae logicae regulam constituunt: *cognosce te ipsum.* Sed incumbit haec cura parentibus potius & prae-

* *de methodo p. m. 1.* ** *de prudentia logica c. II. §. 6. 7.*

praeceptoribus, qui discipulis consilio assistere necesse habent: misera discentium turba sequitur, non qua decet, sed qua ducitur, via. Docentis itaque est traditorum sibi ingenium naturamque perspicere monente sapienter QVINTILIANO, * vt semper obseruarunt apud veteres scholarum magistri. Exemplum iis praeiuit ab Ægyptiis id edoctus, sapientiae graecanicae stator PYTHAGORAS, qui vt post alios IAMBLICHVS ** auctor est *auditores se accedentes scrutabatur quaerebatque, quomodo cum parentibus & reliquis fuissent versati, attendebat risum, silentium, sermonem, studia, diuturna, libera, familiares, laetitiae vel doloris apud eos, causas, oris speciem, incessum, totumque corporis motum.* Sequutus est eum laudabili instituto ARISTOTELES, quem GELLIVS *** neminem ad philosophiae subtilioris auscultationem admisisse scribit, nisi eius antea ingenium & eruditionis elementa atque in discendo studium laboremque explorasset. Idem de PLATONE obseruat HVARTVS. Exempla plura suppeditabit, si conferre placuerit; veterum Philosophorum historia.

§. XIII.

* *Inst. Orat. Lib. I. c. 3.* ** *de vita Pythag. c. 17. p. 78.* *** *Noct. Attic. Lib. II. c. 4.*

§. XII. Quemadmodum vero alias error errorem trudit, ita & hic vnum impedimentum plura subinde producit, & singillatim ex neglectu modo allatarum obseruationum consequitur, qui non minus sapientiae cursum remoratur: nimius eruditorum numerus. Etenim dum nullus habetur ingeniorum selectus, quilibet ad studia prouolat, inuitaque Minerua Eruditonis nomen ambire sibi honori ducit. Inde tanta literatorum, otiosorum inquam, hominum vbique deprehenditur affluentia, vt vel Homerus nouem Musis comitatus aliquando obulum quaerere necessum habeat. Accedit, quod plurimi sub studiorum ingressum scopum sibi praeficiant vanissimum, quodque de vero scopo literarum paucissimi admoneantur. Hoc si fieret, non tam multi literas colerent impio conatu, facileque deficeret nimius Eruditorum numerus. Ast dum quilibet vanae ambitioni suae litans honores, auarus opes, voluptuosus nescio quae commoda otiaque sibi ex literarum studio gratulatur, dumque malesani doctores vel hoc ipso nomine illis studia commendent, quotidie obexponitur verae & solidae sapientiae. Saniora sunt quae docuit literatissimus ERASMVS*.

Equi-

* *in enchiridio militis christiani can. IV.*

Equidem ſcio, multos ex innumero eruditorum numero Reipublicae literariae neſcio quid non boni portendere, atque ex hoc ipſo eiusdem felicitatem multis depraedicare nominibus. Ita enim iudicant qui praeſentem Eccleſiae chriſtianae faciem pulcherrimam, formam Imperii Romano Germanici optime regularem, & ſtatum eruditionis feliciſſimum admirantur. Qui rem altius & mente a praeiudiciis libera penſitat, facile videt, multitudinem non prodeſſe ſed obeſſe, quum eruditorum ſtatus ſit extraordinarius, adeoque pauciſſimis accommodatus, vnde philoſophandum i. e. ſtudendum paucis, nam omnino eius abundantia haud placet. Eruditorum officium eſt aliorum regere actiones. quorſum opus quadam auctoritate: multitudo autem eorum paupertatem contemptumque conciliat. Quis quaeſo ſapientiae quid boni inde portendat, ſi videat prae foribus vnius hominis centum omnium bonarum artium magiſtros officiolo cuidam inhiantes cum ſacculo, & vel paſtoris, vel cuſtodis, vel curatoris, vel praeceptoris titulum aut mercari aut emendicare geſtientes. Inde tot miſeri & indigni vnico miſericordiae affectu intruduntur negotiis, queis impares, vt per totum vitae ſpatium ex gratitudinis lege, Patronis, Collatoribus, Interceſſibus miſeram ſeruiant ſeruitutem. En tanti

sunt, qui mundum regere debebant! proh! quanta felicitas! aliter autem credo res nostrae cederent, si nulli nisi idonei, nisi iustum scopum prae se ferentens, ad studia admitterentur, non currerent, sed deferri sibi paterentur officia: *sic minus esset eruditorum, plus eruditionis*, vt verbis vtar REALIS de VIENNA * qui hoc vlcus pluribus tetigit: cui dudum prolusferat prudentissimus Theologus SCHVPPIVS plura & maiora differens egregie. **

§. XIII. Nullus dubito in hunc censum quoque referre academiarum multitudinem, quippe quae plurimis ansam dedit incommodis. Equidem non is sum, qui magnificam eorum ausit arrodere famam, qui optimis ex rationibus haec exstruxerunt sapientiae emporia, manebit eorum fama immortalitatis inserta fastis, nec vnquam de eorum laudibus conticescet aequa posteritas. Illud tamen dissimulari haud potest, quotidie aucto academiarum numero, neutiquam augeri eruditionis incrementa: nec semper bonae conditorum intentioni respondere euentum. Dum enim augentur academiae, plures requiruntur sumtus ad alendos Doctores, sicque discentes distrahun-

* *in dub. ad Chr. Thomasii Introd. ad Phil. aul. p. 39.* ** im Regenten-Spiegel *c. VII. p. 57-62.*

huntur, vt quod per pauca fieri poterat, per plura contingat. Hinc augetur etiam eruditorum numerus, quem antea in impedimentorum classem retulimus, quilibet Docentium auditorum caterua delectatur. Inde emittuntur Missionarii sumtus auditoribus alendis necessarios emendicantes, consilia suppeditantur de nouis, vt vocant, stipendiis, legatis, & id genus aliis erogandis, scilicet vt quotidie augeatur studentium numerus, nec vnquam otiosorum hominum defectus appareat. Stipendia, legata, aliique sumtus literarii non impediunt sapientiam: conferenda erant larga manu, ast cum delectu & paucis, & nemini nisi maxime aptis ad literarum studia: non illis, qui inuita minerua accurrunt, patriae magis manu quam ingenio seruire apti. Horum autem postquam hactenus sat magna manus est, nescio vtrum non potius quorundam hominum consulatur pigritiae stultitiaeque, quam bono publico, & vtrum recte REALIS de VIENNA * asserat: *illos magis patriae „ profuturos, si vnum opificem, quam centenos „ inutiles educarent, cum laborantium in Germa- „ nia tanta sit inopia, otiosorum latinorum magna „ copia.* Praeterea distrahuntur non tantum facultates discentium, sed & docentes, cum

* *l. c. p. 3.*

vix sufficiant tot academiis viri docti, vt omnium disciplinarum partes toties expleri possint. Satius vtique est vna gaudere academia, in qua quilibet officium suum rite recteque & cum laude obeat, quam in decem Academiis, vix decem videre viros, qui disciplinae suae nouum addant splendorem, sed hoc iam monuit doctissimus SCHVFNER *. Interim non incommode huc quis retulerit mutatis paucis verba PETRI RAMI ** ad CAROLVM IX. Francorum Regem: *Tollatur edicto tuo infinita Professorum* (academiarum, scholarum) *turba, diligantur* (confirmentur adiuuenturque) *idonei philosophiae Professores ordinarii* (academiae paucae sed bonae.)

§. XIV. Eruditorum academiarumque multitudini prono nexu cohaeret graduum dignitatumque academicarum abusus, & intempestiuus eorundem ambitus. Quo plures enim literis operantur, eo plures quoque ambiunt dignitates academicas, eoque plures his sibi placent nominibus. Praeterea vnicuique academiae interest, iurium suorum frui exercitio, vnde quoque necesse est, vt definito tempore milites conscribantur

* *in dissert. de multitudine Librorum c. 1. p. 15.*
** *in prooemio reformandae Parisiensis academiae in Oratt. p. m. 366.*

tur Apollini, cum autem dignorum, eorumque qui his titulis recte sint vsuri, non vbique locorum magna sit abundantia, res redit ad Deos minorum gentium. Prouolare hinc videas quandoque huc illos, qui vix Ephebi apparent, quique vix vnam & alteram philosophiae partem degustarunt. Inde tot Thersigeri tam pauci conspiciuntur Bacchi, frigetque, omnibus eam colentibus, derelicta solida sapientia. Inde sequitur contemtus eruditionis etiam solidae, & quicquid etiam boni hinc inde in Academiis docetur, apud plures pedanteriae nomine audire solet. Exulat itaque philosophia, quoniam eam ignorant, qui hoc nomine superbiunt, & tolluntur bonae artes, quia quilibet artifex esse praesumit. Apposite ERASMVS * *inter immites bestias numerat illos, qui intra annum, septem artium liberalium titulum ac professionem susceperunt.* Mirum certe est, qui fiat, quod ferae hactenus tam caro veniant pretio, cum hi ipsi saepius quam bestiarum pulli proueniant, qui omnem doctrinarum ambitum simul ac degustant, deglutiunt.

§. XV. Ut vnitas unitatem, ita hic multitudo propignit multitudinem: ea enim de quibus hactenus loquuti sumus omnes

* *in methodo stud. theolog. p. 107.*

concurrunt ad procreandam sobolem seipsis longe deteriorem: multitudinem librorum. Nam dum plures eruditorum nomen ambiunt, plures quoque protruduntur commentarii, compendia, methodi concionandi, introductiones, & quae sunt alia librorum genera. Nemo siquidem docti nomen meretur, nisi intempestiuo conatu ita inclarescat, & vel neglectis grauioribus officii sui curis libros scribendi sibi datum esse credat negotium. Dum praeterea quaelibet academia ex speciminibus diiudicatur, necessum est quandoque illos, qui ei inseruiunt, ad scribendum animum appellere. Accedunt praeterea constitutiones quae specimina eorum qui dignitates ambiunt, expetunt, vt adeo vel ex his caussis proueniat inexhausta librorum multitudo, quae non potest non in insigne sapientiae cedere impedimentum. Equidem concedo, quod PLINIVM † maiorem dixisse memini, *nullum librum esse tam malum, vt non aliqua ex parte prosit*, quis enim hoc neget, quum omnes quotidie id adfirment tabernae aromaticae. Sed vbi damna maioris sunt ponderis, quam illa vtilitas, ibi quilibet facillime laudatae renunciat vtilitati. Aut si qui sunt, qui renunciare nolint, illis recte applicaueris,

† *Lib. III. epist. 5.*

ris, quod ARISTO apud STOBAEVM † de illis inquit, qui dialecticae studium profunde rimantur: *eos cancros edentibus similes esse, qui propter exiguum alimentum, circa crustas plurimas oc- upantur.* Onerat discentem turba, non instruit, aiebat SENECA †† qui & alibi distrahere animum librorum multitudinem asserebat. Quid quaeso nunc diceret, si nostro tempore post typographicae artis inuentionem nostra videret volumina. Credo ego nulla hic opus esse damnorum longa enarratione, quum propria experientia id facile quemque edoceat. Imo eo lubentius ab ea abstineo, quo gratiora nobis fecerunt otia post alios OBSERVATORES HALENSES ††† & SHVFNERVS ††††. Placent autem in rem nostram apprime facientia verba IO. AMOS COMENII ††††† *Melius est pauca, sed & certo, & pleno numero & recte tenere, quam per infinita volutari, quia hoc nonnisi vagam & epinabilem, illud constantem & firmam eruditionem confert.* Uti autem est haec rarissima, ita facile est iudicare, qui fiat, quod mundus quotidie nouis non impleatur, sed pene

 ob-

† *serm. 79. fol. 424.* †† *de tranquill. animi c. 9. & ep. 11.* ††† *obs. I. Tom. II.* †††† *in peculiari dissertatione de multitudine librorum.* ††††† *in prodromo Pansoph. p. 81.*

obruatur vanitatis voluminibus, de charta in papyrum coniectis, cum dudum constet; mundum regi opinionibus. Simul quoque patebit curiosa & consideratu digna quaestio: cur nonnulli eruditi aut nihil aut parum scripserint; quam Rintelii anno 1702. doctissimus BIERLING peculiari dissertatione expendit. Quod si autem vnquam, nunc consideratu digna sunt verba quae M. ANTONINVS † ad se ipsum reliquit: *Librorum vero sitim proiice, ne murmurans moriare:* „ *sed vere placatus.*

§. XVI. Licet autem tam multa scribantur, tamen non est negandum, multa adhuc scribi posse, quae non scripta sunt prius, cuius rei causa est praesertim apud Germanos nimis circumscripta libertas sentiendi. Odium & inuidia quibusdam eruditis propria adeo dominantur veritatis studio, vt si vel ab vnius oraculi putatitii discesseris effato, statim pro nescio quo habearis haeretico. Vindicarunt enim sibi etiam ius circa haereticos Philosophi, diffamari satis audacter quandoque edocti. Unde non longo abhinc tempore iurabatur strenue in verba Magistrorum, posterique magna cum voluptate Antecessorum sputa lambebant. Huic mori cum se opposuerunt viri de meliori

† *Lib. I. p. m. 161.*

liori facti metallo, qui ingenuo veritatis amore ducti modeste a veterum, vbi res postulauit, decretis decesserunt, clamatum est, vbi res postulauit, decretis decesserunt, clamatum est, vidimusque vnica hac ex causa vniuersae rei literariae interitum eiulanti voce minitantes. Hinc antiquatas logicorum ineptias, plusquam deficientem ethicorum mediocritatem & sanctissima ignorantiae asyla physicorum innumeris circumuallarunt veteratores isti, Nouatorum, Haereticorum, & quod magis est Atheorum, scil. idola non colentium, nominibus. Hoc modo tot reprimuntur publico bono nata ingenia, tot supprimuntur vtilissima sapientiae volumina, tot absconduntur inuenta seris posteris profutura, tot odio exponuntur veritates. Si autem hoc non est impedire sapientiae incrementa, dubito an stultitia sapientiae nottiinc imponat hominibus. Recte hinc in hoc odium libertatis causam coniecit Illustris CHRISTIANVS THOMASIVS † cur non maiores in sapientiae studio fecerimus progressus. Itaque eruditissimus VIVES inter causas corruptarum artium non

† in kleinen Schrifften *n. X. p. 459. conf. Eiusd. defensio doctrinae characteristicae Clar. Tentzelio opposita.*

vltimam facit praepofterum haeretificandi ftudium. †

§. XVII. Pertinet & huc humilis de literis humanioribus & philofophia perfuafio, qua qui iudicium in crumena habent, illas alto fupercilio contemnunt, hanc vero trium fuperiorum facultatum ancillam conftituunt. Inde infuper habitis linguarum, eloquentiae folidioris fundamentis proruunt plurimi ad facultates fuperiores, vt habeamus Theologos, ICtos, Medicos & inter hos tamen defideremus eruditos. Inde tot miferae tum facrarum literarum, tum legum romanarum interpretationes. Inde eft quod maxima horum pars vix quicquam paeftet, nifi quod methodice & fecundum artis regulas garriant. Temporis & inftituti ratio non patitur haec vlterius profequi, neque id multum haberet ponderis, dum enim illi qui maiora docent, haec ftudia impenfe non commendant, irritus eft labor. Credit iuuentus ineptias haec effe, ad finem properat, inhians titulo, officio, thoro: perfuadetque fibi haec faltem ab harum literarum ftudiofis aut ex coeco earum amore differi, aut ex caufis propriae vtilitatis. Illorum itaque, quorum maior apud hos eft fides, officium eft, eos a fuperficiaria & male funda-

† *vid. de caufis corruptarum artium L. 1. p. m. 33.*

fundata ad veram solidam constantemque si-
bi adducere eruditionem. De Philosophiae contemtu res est notior, quam vt multis commemorari debeat, cum paucissimi sint adeo eruditioni dediti, vt disciplinas philosophicas sibi sumant iusta serie pertractandas, existimantes harum rerum nonnisi in schola esse vsum, quae tamen per omnem vitae cursum se diffundunt. Causa huius contemtus non vltima est *insubtilis & pestilens opinio de instrumentalitate Philosophiae* (sit venia verbis queis vtitur REALIS de VIENNA *) qua sibi persuadent, nullum esse Philosophiae vsum, quam in terminis explicandis, quibus vtuntur reliquae eruditionis disciplinae. Equidem annuo, si Philosophia nil aliud ageret, turpissima esset ancilla; ast postquam, vt SENECA ** loquitur, non in verbis sed in rebus est, & totum mundum scrutatur, optimam insuper viuendi rationem praecipiens, tunc non ancilla sed soror est reliquarum disciplinarum, quippe quae non minus ac illae Numen sui autorem habet. Ast causa huius persuasionis est simplex hominum ignorantia qui suo aeuo misera quadam & terminiloqua philosophia decepti noua spernunt eiusdem incrementa, & quicquid producitur, ob nouitatis speciem

** l. c. p. 9. ** epist. XVI, & XLV.*

ciem reformidant. Hinc audias saepe viros alioquin optimos iuuentutem sub specie pietatis ab his auocare studiis, ac si nil prodesset philosophia ad maius lumen recipiendum: aut si non auocant, infecta tamen opinione eam denique post Theologiam tractari iubent, vt scilicet omnia inuertantur, & in dies crescat eruditionis confusae confusio.

§. XVIII. Quemadmodum autem Philosophiae haud iusta aestimatio, ita quoque sapientiam impedit ignoratio verorum conceptuum de eruditione, quatenus generatim spectatur. Enimuero si nescias quid sit vera eruditio, & quae sint eius partes, & quomodo illae cohaereant, quomodo iudicium ferre possis de singulis disciplinis? Interim certissimus sum, plurimos qui eruditionem colunt, & de sororio disciplinarum vinculo plurima verba faciunt, istud vinculum non posse ostendere. Optime his consulere studuit D. GOTTLIEB GERHARD TITIVS, † qui meditationes suas ad disciplinam generalem de eruditione destinauit. Ut autem huius ignorantiae multae sunt causae, ita quodammodo confusioni occasionem dare potuit recepta distinctio eruditionis in IV. vt vocant, facultates barbaris secu-

† *in arte cogitandi c. XIX.*

seculis haud dubie nata. Id sane certum est facultatum nomen antiquioribus temporibus, eo quo nunc venit, vsu non obtinuisse, adeoque nec distinctioni modo dictae aliquem fuisse locum. IVSTINIANI tempore rem aliter habuisse inde apparet, quod Grammaticorum, Rhetorum, Medicorumque saltem faciat mentionem, † quemadmodum & vbi ex professo, quod aiunt, de eruditis agitur †† huius distinctionis nullum apparet vestigium, adeo vt eius origo non multum vltra annos seculi XIII. post C. N. sit referenda, consentiente HERMANNO CONRINGIO. ††† Sufficit inadaequatam hanc eruditionis diuisionem facillime inseruire potuisse disciplinarum confusioni, multumque contulisse, ad inordinatas de eruditione ideas concipiendas. Inde pretium disciplinarum vsusque statutus est secundum receptum ordinem, mixta sunt instrumentalia principalibus, instrumentalibus principalia, & quilibet contentus fuit vnam harum ambire gratiarum. Inde nata sunt semidoctorum secula, confusionis periodi, vt quandoque eruditis nominibus superbientes nesciant, quid eruditionis nomine.

† *L. I. J. tit. XXV. §. 15.* †† *L. X. C. tit. LII. de Professoribus.* ††† *in antiquitatibus academicis, suppl. LXXVI. p. 373.*

ne contineatur. Ostendendus hinc est se
dulo nexus omnium Eruditionis partium
explicandaque generalis eius natura, nisi ve
limus aliquando inter semi eruditos perder
sapientiam ac eruditionem.

§. XIX. Atque haec sunt, quae de sa
pientiae impedimentis nunc quidem in me
dium proferenda putauimus: poterant ve
que plura produci, sed infinitus sic fuisse
suscipiendus labor. Quo enim oculos per
conuertimus, ibi noua se obtulere obstacul
Specialiorem considerationem impedimen
torum cuiusque studii nemo facile a nob
desiderabit, cum libenter eam captum n
strum transscendere confiteamur. Praet
rea nec debuimus nec voluimus hominibu
rixosis ansam praebere, de nobis querend
quod falcem in alienam messem mittamu
Qui mente libera rem considerabunt, etia
hac in parte sibimet ipsis facile cons
lent, & ex generalioribus meditationibu
quasdam specialius poterunt applicare
Dedi interim huius rei specimen in praef
tione nupera ad Illustris THOMASII Jur
prudentiam diuinam germanice conuersam
de impedimentis Iurisprudentiae naturali
quibus facile alia plura addentur. Qu
reliquum est, vti nonnisi veritatis volu
tisque publicae causa haec consignauim

ita ſperamus quoque eadem non aliter a bonae mentis ſtudioſis acceptum iri, quam vt emendentur placide communia vitia, vtque remoueantur, quantum in vnius cuiusque ſitum eſt viribus, quae curſum ſapientiae impediunt. Quem ſi quilibet actionum ſuarum habuerit ſcopum; nullum eſt dubium, fore vt demum aliquando vltra omnes, quae obſtant, remoras caput erigat vera & ſolida ſapientia, quae nonniſi cogitione veri & actione boni continetur. Eat in partes noſtras benignisſimus Deus, adſitque conatibus, qui omnis ſapientiae origo atque centrum exiſtit.

F I N I S.



INSTRUXIT

JOANNES EDUARDUS ERDMANN

PHIL. DOCT. PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERS. HALENS. C. VITEBERG. CONSOC.

PARS PRIOR.

CUM LEIBNITII EFFIGIE.

BEROLINI